

**Summa utriusque iuris doctoris Raymundi w edycji Commune Incliti Poloniae regni privilegium constitutionum et indultuum publicitus decretorum approbatorumque.**

Starodruk, Biblioteka Jagiellońska, St. Dr. Cim. 8002

Odczyt: Kamil Sorka

Księga 2, rozdział 48, fol. XXIV–XXII

**Quibus testari et legari potest. Capitulum. XLVIII.**

Testari et legari poterunt omnes res corporales et incorporales, presentes et future, ad certum tempus vel in perpetuum, sub conditione vel simpliciter, de certa re, certa quantitate vel incerta. Legari potest debitorum liberatio, creditorum solutio, male quesitorum restitutio: et non solum res, sed et factum potest legari hoc modo. Ego lego et precipio, ut heres meus rem talem tali donet vel vendat, vel prohibeo heredi meo talis et talis rei alienationem sub pena C librarum tali monasterio vel tali ecclesie prestandum. Et pro eo adiicitur pena, ut metu pene stetur arbitrio, quia preceptum de necessitate non servatur. Similiter testator non potest fidei alicuius committere omnes hereditates suas, ut de hiis disponat prout sibi co[m]mittit et confidit. Et hoc fit sic: A heres meus esto, et rogo te ut quam [fol. XXII] primo possis, hereditatem adire, tunc da filio meo N ex concubinatu tantum. Testator etiam potest suo heredi dare tutorem ad tempus iuris vel ultra et quod idem faciat rationem de sibi commissis vel quod non faciat, et precipue quod inventarium faciat. Est autem inventarium littera continens omnia que ipse testator relinquit.

[hasła: dziedziczenie testamentowe, legat, rzeczy materialne, rzeczy niematerialne, warunek, ustanowienie dziedzica pod warunkiem, ustanowienie legatu pod warunkiem, kara nałożona na dziedzica, ustanowienie opiekuna, spis inwentarza]